



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio XII. De Ordinatio, qui in Examine defectum Canonicum occultavit
per fraudem & mendacium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

Ordinariorum, qui suam potestatem, quam habent ad conferendos Ordines suis subditis, jam omnem transtulerunt per dimissoriales & dispensationem in Interstitiis. *Antec.* tenent Sanch. Garc. Zerola, Bonac. Palao, & alii apud & cum Barbofa de *Offic. & potest. Episc.* alleg. 39. n. 5. Pirhing, & fortè omnes alii, qui hanc rem examinârunt. *Consequentia* & *paritas* stringit. Atque hoc argumentum à pari est bene notandum. Sicut enim legitime & cum licentia suorum Episcoporum adventantes extranei licite absolvuntur à peccatis Papæ reservatis ab habente privilegium Apo-

stolicum, ita planè extra tempora ordinantur licite extranei legitime & cum licentia suorum Episcoporum adventantes ab habente privilegium Apostolicum ordinandi extra tempora.

Scrupulus, qui initio me invaserat, facile contemnitur, & rejicitur, si dicatur, potestatem dispensandi in temporibus non pertinere ad Episcopos proprios, atque ideo ab ipsis specialiter dari & expectari non posse: sed pertinere ad Sedem Apostolicam, quæ eam specialiter concessit, indulgendo Privilegium illimitatum, & non restrictum ad proprios subditos ordinandi extra tempora.



TITULUS XII.

De Scrutinio in Ordine faciendo.

DECISIO XII.

De Ordinato, qui in Examine defectum Canonicum occultavit per mendacium & fraudem.

SPECIES FACTI.

Festinantius absolutò Theologiæ Moralis studiò proximam spem ad Beneficium, quod requirebat Ordinem Presbyteratûs, aliorum patronicò consecutus fuerat; quia verò sciebat, sibi, utpote vigesimum tertium ætatis annum necdum egresso,
(R. P. Picbler Decisiones.)

obstare defectum Canonice ætatis, ideo finxit schedam baptismalem, in qua falsò & per mendacium scribi curavit annum nativitatis suæ illum, à quo si fiat numeratio, justa & à SS. Canonibus præscripta 24. annorum completorum ætas se prodidit. Qua-
M pro-

propter, cum nec scientiæ nec aliud impedimentum ipsi obstaret, non tantum Subdiaconatus & Diaconatus, sed etiam Presbyteratus Ordinibus præproperè initiatus est. Post aliquod à susceptis Ordinibus & beneficii con-

secutione tempus, illudque modicum, vehementer angi cœpit, & dubitare, an validè esset ordinatus in Sacerdotem. Unde Confessario proposita ab ipso est hæc

QUESTIO.

An valida sit Ordinatio illius, qui in Scrutinio, seu Examine, ab Ordinandis subeundo, per fraudem mentitur, se carere defectu ætatis, vel alterius qualitatis, in ordinando de Jure requisita?

Invalidam esse non levia in speciem argumenta verisimile, reddunt, & quidem I. Omne Sacramentum est ipso jure irritum, si Minister, qui conficit, non habet intentionem actualem vel virtuale illud conficiendi, seu faciendi, quod Christus instituit, ut habet communiter recepta sententia S. Thomæ in 3. p. q. 64. art. 8. imò definitum est à Tridentino S. 7. Can. 11. de Sacram. in gen. ibi: *si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia (nempe secundum institutionem Christi) anathema sit.* Atqui Episcopus ordinans non habet intentionem ordinandi seu Sacramentum Ordinis conferendi illi, qui mentitus fuerat, se habere legitimam ætatem, imò habet intentionem non ordinandi talem. Quod confirmatur & probatur II. quia idèd solet Episcopus præmittere Scrutinium, ut laborantes defectu ætatis, vel alia

inhabilitate, arceantur & excludantur ab Ordinibus, seu ut non ordinentur. Idem patet III. indè, quòd omnis Episcopus præsumendus sit bonus, & nolle peccare conferendo Ordines: sed peccaret, si haberet intentionem conferendi Ordines inhabili, & qualitates à Jure Communi requisitas non habenti, inter quas est etiam legitima ætas; ergo præsumendus est habere intentionem non ordinandi legitima ætate destitutum, præsertim talem, qui per mendacium scienter se illam habere edixit, utpote qui magis se reddit indignum beneficio Ordinum. IV. Si sciret Episcopus hunc defectum, repellere teneretur talem tanquam inhabilem: ergo etiam censeretur velle repellere, & non ordinare, si defectum ignoret, cum censendus sit velle id ignarus, ad quod tenetur sciens defectum, V. Qui fraudulenter per allegationem falsam legitime ætatis vult ordinari, peccat graviter:

viter: ergo & Episcopus talem ordinare intendens, eò quòd cooperetur ad peccatum. *per c. 1. de Offic. deleg. & c. fin. h. i. in 6.* ergo non potest habere intentionem ordinandi talem.

His non obstantibus, si Festinantius ad me tanquam Confessarium accessisset, leniter increpitum de tanta audacia iussissem esse bonò animò de valore Ordinis Presbyteralis, quem utique cum gravi peccato contra SS. Canones & illicitè suscepit ante ætatem legitimam, & simul contra Jus naturale per mendacium in re gravi, addens, quòd secundum Pii II. Bullam; quæ incipit, *Cum ex Sacrorum*, editam anno 1461. incurreret suspensionem ipso Jure, ita ut exercitium Ordinis Presbyteralis non habeat, consequenter beneficio suo satisfacere non possit, imò etiam Irregularitatem, si scienter, vel cum ignorantia crassa (uti planè hæc videtur intervenisse) legit Sacra in dicta Suspensione. juxta *c. 9. de Cleric. Excomm. &c.* à Suspensione tamen absolvi ipsum posse ab Episcopo, imò & dispensari in Irregularitate pro foro interno, quia occultata est. *Trid. S. 24. c. 6. de Ref.* Proin

Dico, Festinantium fuisse validè ordinatum in Sacerdotem non obstante defectu legitimæ ætatis, per fraudem & mendacium allegatæ. Persuadent, & sic sentire me jubeant tum Jura Canonica tum rationum momenta. Si quidem similis casus deciditur in *c. 1. de eo, qui furtivè*. ubi dicitur verè ordinari & Characterem Sacramentalem recipere, qui furtivè non examinatus,

non approbatus se immiscet ordinandis, etsi Episcopus sub excommunicatione lata sententiæ prohibuisset, ne quis non examinatus ad Ordinationem suam accederet: à fortiori ergo validè ordinatur, qui approbationem obtinuit per fraudem; si Episcopus specialiter non prohibuit (uti in Ordinatione Festinantii non contigit, nec ordinariè contingere solet.) ne talis accederet; sicut enim prohibetur de Jure quilibet, ne accedat ad Ordinationem sine debita ætate, ita prohibetur accedere sine Scrutinio, seu prævio examine & approbatione. *can. 2. 5. & final. d. 24. Trid. S. 23. c. 7. de Ref.* Deinde ordinati ante legitimam ætatem, vel patientes alium defectum Canonicum, dicuntur suspensi, vel suspendendi ab usu Ordinis. *c. 14. de tempor. Ord. can. 1. & 2. d. 70. Extrav. Pii II. cit.* ergo ipse Ordo supponitur valere & non reiterandus, cum solùm prohibeatur ejus exercitium. Unde à S. Poenitentiaria, teste Navar. *ad Tit. de tempor. Ord. conf. 6. n. 1.* frequentissimè petuntur absolutiones à prædictis Suspensionibus, & conceduntur nullo adjecto præcepto, ut petentes denuo ordinentur.

Sed & graves accedunt rationes; I. validè ordinantur etiam pueri & infantes, qui utique carent legitima ætate, juxta omnes: item laborantes defectu natalium, censurâ ligati, irregularitate impediti, vel in quocunque peccato mortali constituti, ut iterum tenent omnes, & nemo vel per somnium unquam cogitavit contrarium

teste eodem Navar. n. 10. licet ipsi non ignari suæ inhabilitatis, & indignitatis Ordines procuraverint, Episcopus verò defectum vel impedimentum ignoraverit, non ordinaturus illos, si scivisset: ergo idem tenendum de defectu ætatis per mendacium occultatæ, ut obtineretur Ordo Sacerdotalis. II. Potest Episcopus velle sine peccato ex una parte, ut nullus accedat ad ordinationem laborans defectu & indigno, atque contra prohibitionem SS. Canonum: ex altera verò, ut Ordinatio valeat eo modo, quo de Jure valere potest; istæ enim duæ voluntates sicut sunt separatæ ac distinctæ, ita conjungi possunt, & præsumuntur conjungi ab Episcopo, quæ diu contrarium non constat, quia præsumi debet, quod Episcopus velit conferre Ordines juxta præscriptum SS. Canonum, qui prohibent quidem ordinari indignos, & defectu laborantes, non tamen irritant Ordinationem, si fortè fiat. Sed, si hoc modo est constitutus Episcopus, habet intentionem ordinandi eos, qui laborant defectu, & indigni sunt, licet peccent, & illicitè ordinentur, qui scienter cum defectu, & indigni, faciunt se ordinari, sive cum sive sine mendacio positivo. III. longè aliud est, quid faceret Episcopus in hypothesis, quod sciret alicujus defectum, inhabilitatem, vel indignitatem, & aliud est, quid hîc & nunc velit, illam ignorans: nam ignorans vult absolutè tales ordinare, & non alligare censetur suam intentionem existentia qua-

litatum omnium à Jure requisitarum, cum de occultis non judicet; licet illos non ordinaret, si sciret defectum unius vel alterius qualitatis à Jure requisita. Ferè sicut contingit in contrahente Matrimonium cum errore vel ignorantia qualitatis, quam putat existere in persona, cum qua contrahit, cum tamen revera non existat, v. g. si eam putet esse divitem, nobilem, virginem, morigeram &c. cum tamen talis non sit. Juxta omnes talis absolutè hîc & nunc censetur velle contrahere, nisi expressè suam voluntatem alliget & restringat ad existentiam hujusmodi qualitatis, licet habitualiter ita sit constitutus, ut non contraheret, si sciret illam abesse. Atque ex his ruunt argumenta in oppositum allata, nec est

Difficilis ad ea responsio. Ad 1. Negatur *Mtu.* Nisi enim Episcopus vel in mente tantum, vel ore simul & mente, protestetur, se nolle ordinare eos, qui non habent debitas qualitates ætatis &c. vel qui mendaciter dicunt se habiles (quo casu utique non ordinarentur validè propter defectum intentionis, ut tenent omnes cum Rebuffo in *prax. Benef. de Cler. ad futurum Ord. malè promotis in fine.* propter argumenta in contrarium allata) censetur habere intentionem omnes accedentes ordinandi; partim quia præsumitur velle ordinare eo modo, quo Jura volunt Ordinationem valere: Jura autem volunt eam valere, si tantum desit qualitas à Juribus præscripta, v. g. ætas legitima, natales legitimi

gigni, absentia censuræ, irregularitas, peccati mortalis in suscipiente &c. partim quia Episcopus regulariter sine peccato gravi (quod non est præsumendum) non potest vel expressè & voce, vel tacitè & mente coram Deo protestari aut proponere, quòd non intendat ordinare indignos, vel defectu ætatis, vel alio Canonico laborantes, quem defectum ipse nescit, nec scire tenetur, vel probare nequit. *arg. can. si tantum. § can. placuit. caus. 6. q. 2.* quia sic contraveniret consuetudini communi Episcoporum tam antiquorum quàm modernorum, atque induceret grandia & nova scandala, magnæque animarum, quibus à sic invalidè ordinatis contingeret ministrari Sacramenta invalidè, vel alia Divina nulliter exerceri, pericula. contra *e. 2. de præscript.* & contra Jus Naturale. Adde, quòd non pertineat ad Episcopum punire occulta crimina, cum non sit secretorum Judex, *can. si omnia caus. 6. q. 1. § can. erubescat. 11. d. 32.* sed debeat procedere secundum exterioris fori Jura. *arg. c. pastoralis S. quia vero de Off. deleg. § l. illicitas. § veritas. ff. de Off. Præsidis.* Cùm igitur in nostro casu Episcopus ordinaverit Festinantium sine protestatione externa, quòd nolit ordinare laborantes defectu, vel mendaciò se fingentes habiles, neque præsumi possit, quòd contra Jura & conscientiam suam proposuerit in mente tales non ordinare, dubium non est, quin habuerit actualem vel virtuale intentionem ordinandi Festinantium, licèt, si scivisset

ejus defectum & fraudem, ordinare nolisset, nec velle potuisset licèt. Imò licèt exterius & voce protestatus esset, se nolle ordinare destitutos legitima ætate &c. vel per mendacium pro habilibus se dictitantes, tamen si præcisè per hoc voluisset arcere audaciam nimiam illicitè & sine debitis qualitatibus accedentes, mente tamen ordinare intendisset (quod aliquos subinde fecisse, licèt malè & cum peccato, ut patet ex dictis, testantur DD.) validè hujusmodi coram Deo essent ordinati; & nisi de mente, protestationi externæ respondente, constaret fati, etiam pro foro externo pro validè ordinatis habendi, & talem mentem abfuisse præsumendum foret, cum in tanta pericula & scandala inducere non voluisset præsumendus esset Episcopus, taliter protestans, à se ordinatos, & animarum salutem, à valore Ordinum dependentem. Ad 2. Solet præmittere Scrutinium, quia ex præscripto Canonum, ubi aliunde ipsi non constat de habilitate Ordinandorum, debet præmittere, ut adhibitâ debitâ diligentia ipsi innotescat de illorum habilitate & dignitate ad licitam collationem & susceptionem Ordinum: exinde tamen non sequitur, quòd non intendat ordinare, quos ignorat, vel in examine prævio non cognoscit inhabiles, ita ut collati Ordines non validè conferantur: hæ enim duæ intentiones sunt separata; à separatis aurem non fit illatio, ita ut, si priorem intentionem habeat, scilicet non ordinandi eos, quos per exam-

men institutum cognoscit inhabiles, etiam hoc ipso absolute velit non ordinare, quos ignorat, etiam per fraudem deceptus, esse inhabiles: imò potest & debet secundum Jura velle examinare ordinandos, ut constet de habilitate, eos aliàs non ordinaturus, si deprehenderet impedimentum, & simul ordinare examinatos, in quibus non deprehendit defectum, licet habeant re ipsa. Ad 3. Non peccat Episcopus conferendo Ordines illi, quem putat esse dignum & habilem, licet per fraudem deceptus sit, imò peccaret, talem non ordinare inten-

dendo, juxta doctrinam traditam: ergo hoc argumentum est pro nobis, quia Episcopus non est presumendus malus, & peccare velle ordinando: peccaret autem non intendendo absolute Ordines conferre iis, qui sunt inhabiles, quorum inhabilitatem nescit. Ad 4. *N. conf.* ex dictis. Ad 5. Pariter ex dictis Negatur *Conf.* cooperari merè materialiter & ignoranter ad alterius peccatum non est peccatum: imò peccatum esset velle non ordinare accedentem, quem Episcopus ignorat esse inhabilem vel indignum.



TITULUS XIII.

De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu.

DECISIO XIII.

De Ordinatis à Suffraganeo, qui deposuit Dignitatem & Officium suum.

SPECIES FACTI.

PROcopius ex Ordine Regulari à quodam Romani Imperii Principe & Episcopo, proxima consanguinitate conjuncto, assumptus fuerat in Suffraganeum, seu Vicarium in Pontificalibus, vulgò *Wesh = Bischoff* dictus, vel Titularis in partibus infidelium.

Verum is amore solitudinis Religiosæ resignabat suum Episcopatum titulare, & dignitatem officiumque Suffraganei, se recipiens ad claustrum Religiosæ suæ familiæ, ut ibi vitam privatam in sancta quiete duceret. Contrigit autem, ut Sede Episcopali vacante per integrum